V. ADVENIENTE tempore obitus sui, ipse sanctus misit ad beatam Aldegundem, vt vestes in vsus exequiarum sibi mitteret, vt linteis virgineis manibus textis, virgineos artus componeret. Missus itaque nuncius cum iter medium explicuisset, eccè à beata virgine alter missus occurrit, ferens secum linteamina, quibus obuolui deberet corpus defuncti. Hi inter se causas & tempus itineris mutuo sermone discutientes, inuenerunt vnam eandemque horam fuisse, qua vterque executionis mandata susceperat. Quod non absque diuino nutu contigit, vt longe posita virgo, nec famâ nec nuncio præmonita, funus sancti viri curaret. Cuius corpus in oratorium, quod ipse construxerat, discipuli sepelierunt in magna gloria, vbi innumerabilia postmodum contigerunt miracula.

Vicinus morti mittit, ad Aldegūdem pro linteamine ad inuoluēdum corp* suum. Sepultura eius c 19. vitæ S. Aldegūdis.

VI. CENTESIMO quinquagesimotertio anno post mortem S. Humberti, monente Angelo, ab Abbate Rodino leuatum est de tumulo sancti viri corpus. Admirari autem nemo sufficit, quanta miri odoris suauitate perfusi sunt qui aderant. Et quod magis stupendum, sacrum corpus ita illæsum & incorruptum inuentum est, ac si eadem die spiritum emisisset: vt si lectulum compositum videres, dormire hominem existimares. Verum linteamina, quibus ipse inuolutus fuerat, nihil in se corruptionis habebant. Sed & herbæ, quæ sepulturæ eius die appositæ fuerant, quas nullas pro temporis antiquitate putares, adeo virides sunt repertæ, ac si terræ radicitus inhærentes, irriguis aquis virescerent.

Corpus eius post 153. annos incorruptum apparet.

VITA S. MAGNI CONFESSORIS, QVI ET MAGNOALDVS, AVCTORE THEODORO, MONACHO S. GALLI, ET CAMPEDONensi Abbate primo, eius discipulo, ex membranis MSS. monasterij S. Magni, in pede pontis Ratisponensis. Ex to. 5. Antiq. Lect. Hen. Canisij.

AN. 660.

I. PRAEQVE in tempore illo cum beatissimus Columbanus simul cum beato Gallo nepote suo diuersa loca perlustraret, ad diffamandum verba Dei, & peregrinandi causa, Hiberniam peruenirent, quidam frater nomine Magnoaldus, ex præfata patria Hiberniæ procreatus, pulsare cœpit autes B. Galli, discipuli sanctissimi Columbani, ita alloquens: B. Magister & domine, video vos in seruitio Dei tantum sollicitos esse, vt Eremum concupiscentes, quantisper ibi morantes, bestiarum scilicet, vrsorum, bubulorum, luporum multitudo frequentet, & ad vestrum imperium recedat: Vnde vestris vestigijs prouolutus deposco, vt spreta faleratnenta sæculi, & præsentium pompam facultatum, contemnens, æterna præmia capere merear. Quod beatus Gallus cernens, eum ad pœnitentiæ medicamenta concurrere, vniuscuiusq; cœnobij septa, vbicunq; Dominus iuberet per eius orationem concupisci, beato Columbano hoc indicans obtulit eum suis obtutibus; sciscitans ab eo consilium & voluntatem. Cui beatus Columbanus respondit: Pergentes ergo filij in Eremum voluntatem Domini probemus, vtrum desideratum arripias iter, an non.

6. SEPT.

Magnoaldus recipi se petit in societatem vitæ monasticæ.

II. PERGENTES ergo simul tertium adolescentē, nomine Sonarium, in comitatum sumunt, & ad destinatum in Eremo locum venerunt, vnius panis tantum cibo contenti. Cumque iam tertius transisset dies, nec quicquam panis fragmentum remansisset, horaq; refectionis appropinquaret, imperantur à patre, vt per prærupta * ruris eant, atq; ad ima vallis perueniant, & quicquid ad cibum opportune reperiant, deferant. Ouantes illi, per concaua vallis inuenerunt capturam piscium, olim à pastoribus consertam in amne, qui vocatur Lignona, vndisq; oppositam. Quod inspicientes, & Deo gratias agentes, sumentesq; tres, quos repererunt pisces, venerabili patri præsentauerunt. At ille Spiritu sancto nouerat, sibi passim à Domino dapes paratas, & cum gratiarum actionibus sumpserunt cibum. Et post cibum iterum gratias conditori egerunt. Quod inspiciens Magnoaldus, sequens beatum Gallum, læto animo promittit, se eorum imperijs paritutum, & Christo Domino iugiter seruiturum.

Magnoaldus in piscatione probatur à S. Columbano. * *rupis legendum videtur.*

III. QVEM vir sanctus Columbanus suis beatis receptum manibus in obedientiam posuit, donatumq; iuxta magnificentiam suam nomen impositit dicens: Magnum te faciet Dominus in sapientia & astutia, à cuius magno nomine Magnoaldus vocaris. Addidit iterum: Cognita sunt tibi omnia ministeria monastica, à quibus cognomen habebis Magnoaldus. Factoq; Monacho, tradidit ei clauem cellarij. Statimq; aperuit DEVS voluntatem suam aduersus beatum Magnoaldum in isto miraculo patrato. Cum iam hora refectionis appropinquaret, & minister refectorij Sonarius ceruisiā administrare conaretur, vas quod Typum nuncupant, ad cellarium deportauit, & ante vas, quo ceruisia condita erat, apponit, tractoq; serraculo meatim in typum currere finit. Quem (sc. Sonarium) subito patris imperio Magnoaldus celeriter vocauit. At ille ardens obedientiæ igne obserare meatum oblitus, pernici cursu ad B. pergit virum, & serraculum manu tenens, ante conspectum B. Magnoaldi astitit, videntibus & sentientibus hoc Columbano & Gallo. Postquam autē sibi vir Dei Magnoaldus quæ voluerat imperare * depromsit, interrogauit eum: Quid est Sonarie quod habes in manu tua? At ille viso serraculo, recordatur negligētiæ, & cito ad cellariū rediit, existimās nihil in vase, quo ceruisia, remansisse. Intuitus ergo vidit supra typum ceruisiam creuisse, quatenus, qualis, & quanta rotunditas infra typi erat coronam, tantum in altum creuisse vrna videretur; & ne minimam stillam foris cecidisse. Quod tale miraculum inspiciens, ad pedes beati Magnoaldi accessit, narrans ei omnia, quæ acciderant, & quæ viderat. Ille pauore perculsus, quid agere deberet ignorans, concitusque perrexit ad Vvinniacum Presbyterum; quem assumens secum ad cellarium duxit, & omnia secundum narrationem pueri Sonarij inuenit. Corruens ergò ad pedes eius, ita locutus est. Domine Vvinniace, quid dicturi sumus domino Patri Columbano, si hæc audierit? At ille respondit: Absit frater, vt misericordia Christi tanto viro, patrique nostro celetur. Et concito gradu perrexerunt ambo veneruntque ad pedes Columbani, & narrauerunt ei omnia, quæ acciderant. Quibus Columbanus ait: Fratres mei, hoc non meis meritis actum est, sed intercessione viri Dei Magnoaldi. Ille hoc audiens, prostrauit se ad pedes Magistri, & dixit: Domine pater: Noli hoc dicere, quia scio pro vestris meritis hoc actum esse, non meis. Respondit beatus Columbanus: Tace frater. Scio vtique, quia vidi Angelum Dei præcedentem te, quando Sonarium vocabas, qui dum signum Crucis super typum fecit, sicera in modum coronæ, sicut vidisti, steriit. O magnum diuinæ potentiæ donum, quæ adhuc neophyto suo seruo tantam gratiam conferre dignata est, vt iam Magnus inter fratres voceris. Ad hæc conticuit Magnoaldus gratias agens Deo in corde suo de magna misericordia eius.

Recipitur à S. Columbano eiusq; vaticinium de nomine Magni. Nota miraculum. De hoc etiam Ionas in vita S. Columbani cap. 16 * *m. s. de prossit.*

Aliud de Magni nomine præsagium.

IV. Eo itaq; tempore, cum sub quodam scopulo, inter vasta eremi corpus afficerent ieiunio, beatus Columbanus & Gallus, nihilque aliud, præter ruris poma in cibis capere valerent, venit quadam die vrsus, cœpitque necessarios cibos carpere, ac passim poma ore detrahere, cumque iam hora refectionis aduenisset, dixerunt ad beatum Magnoaldum: Frater, tibi cognita sunt poma meliora, vade & defer nobis consuetam mensuram pomorum. Qui cum abijisset inter densas frutices, vrsum prospexit, & iussa patris implere volens, timuit valdè. Tandem confortatus in Domino, ait ad feram: In nomine Domini nostri Iesu Christi sta paulisper, donec legam poma, quæ patribus nostris ferenda sunt, & tibi dem ex alijs partem comedere. Mira in fera obedientia, feritatis suæ oblita, steriit, caput inclinatum tenens. Tunc

Vrsus præcepto S. Magni parens.

ille diuisit virga, frutices, rubosque, quæ poma ferebant, elegit partem ex his, quæ iuxta viri imperium meliora erant, ad opus suum ferenda, aliamque partem feræ dedit ad comedendum, dicens: Comede tu ista, cætera alia in vsus beati Columbani reserua. Fera ergo tantæ obedientiæ extitit, vt nequaquam ex prohibita sibi parte ausa esset comedere, sed insegregata, permissaque sibi fruticum parte, tantummodo cibos caperet. Alia vero die beatus Magnoaldus iterum poma requirens, inuenit salua & benè reseruata; gratias agens Deo, ait ad feram: In nomine Domini ita age quotidie. Obediens autem fera procul dubio poma salua reseruauit, quoad vsque vir Dei in loco illo commorauit.

QVARTA verò die iterum dominus suis discipulis cibum præbens tantam copiam alitum illis aduenire fecit, vt omnem plagam loci illius suppleret. Beatus verò Magnoaldus hoc videns, intellexit ob necessitatem patris, suorumque à Deo has aues terræ diffundi, & ait ad beatum Gallum: Iubeat pater hæc altilia capere ad opus fratrum, si placet; quoniam à Deo dapes sunt datæ. Hæc dicente Gallo, ait beatus Columbanus: Tu Magnoalde, qui in nomine Domini vrso iussisti reseruare poma, ad opus nostrum, fac iterum iuxta nomen tuum magnum opus, & impetra à Deo, vt volatilia maneant, donec capiantur à fratribus ad vsus necessarios. Ille mirans, quomodo palam factum fuisset beato viro de fera, tamen non audebat eum interrogare, sed iussu eius prosternens se in orationem, pariter cum beato Columbano & Gallo orabat. Erigens autem se Abbas dixit Magnoaldo: Surge, præcipe capere aues. Surrexit Magnoaldus, gratias agens conditori, cœpit aues capere cum reliquis fratribus. Miraculum valde mirum & stupendum! capiebantur aues, prout patris imperium erat, nec abscedere pennigera fuga nitebantur, donec beatus Magnoaldus ait: Si patri nostro placet, habemus per triduum aues sufficienter, & ideo bonum est, vt recedant. Sicque alitum falangas abire iubet, & sumpto volatu, qui remanserant recesserunt. Sicque diuina misericordia ex vicinis vrbibus frumenti copiam per bonos viros in gyro manentes per manus Felicis, Galli & Magnoaldi direxit ad beatum Columbanum.

Aliud S. Magni de auibus miraculum.

INTEREA ruit cogitatio in mentem, quatenus Sclauorum terminos adiret, eorumque cæcas mentes euangelica luce illustraret, ac ab origine errantibus viam veritatis panderet. Cumque hæc beatis Gallo & Magnoaldo narrasset, & ita patrari se velle profiteretur, B. Gallus dixit Magnoaldo: Frater, quid tibi videtur de hoc itinere nostri Abbatis? Respondit, Domine Magister, inprimis perquirite Domini voluntatem, & postea si dignum duxerit, sed proficiscendum, proficiscimini. Hoc audiens B. Columbanus iussit triduanum ieiunium fieri, & incessanter misericordiam Domini implorari, vt eis suam indicaret voluntatem. Tertia verò nocte Angelus Domini per visum illis tribus apparuit, & ambitu patuo, quasi paginalis orbis stilo describi circulum mundi compage monstrauit. Cernitis, inquit, quod totus orbis maneat desertus? dicite Columbano. Perge dextra læuaque, vbicunque eligas, vt comedas laboris tui fructum, non est tibi opus illuc properandi. Hæc audiens beatus Columbanus, intellexit similiter per visionem sibi monstratam non esse gentis illius in prompsu fidei profectum, & ideo quieuit in loco solummodo, contentus vnius Magistri Magnoaldi, qui & Magni famulatu, donec aditus ad Italiam via panderet. Interea orta est lis inæstimabilis inter Theodoricum Regem, & * Theodopertum; vtrisque namque gentium robore inuicem superbientibus. Inter quæ vir Dei ad Theodopertum venit, eumque suis sedibus, atque intra suis finibus libentissimè recepit, deditque optionem quemcunque in parte voluisset, experimento quærere locum, qui sibi & suis placeret ad habitandum. Inquisitumque locum audiuit à beatis viris Gallo & Magnoaldo, qui iam perlustrata habebant spacia locorum, locum laudabilem fore infra Germaniæ terminos situm in Ala Mannia circa Rhenum fluuium, oppidumque olim dirutum, quem Pricantium nuncupant. Quem proculdubio ratum ducebant fore, vt impetraretur à Rege, & partem saltus ipsius iuxta ipsum oppidum stantem, vbi apta loca inuenire quiuerant ad manendum. Dedit ergo eis Rex iuxta petitionem Sanctorum Columbani & Galli, ac Magnoaldi præfatum oppidum, locaque vasta intus in saltu consistentia, sed non plurima, nisi pauca ibi inuenire potuerant apta ad cellulam construendam. Sicque per alueum Rheni nauigantes peruenerunt Mogontiam, ibique ab Episcopo loci ipsius sumptis necessarijs suffulti sunt, sicut in beati Columbani vita habetur. Peruenerunt autem ad præfatum oppidum, ibique morantes expectabant euentum rei inter Theodoricum & Theodopertum. Beatus verò Gallus cum B. Magnoaldo fratribus, qui iam ex Luxovio venerant, simul cum Abbate relicts, quasi ab hostium prædaingressi sunt saltum, & in eo huc & illuc pergentes, diuersa loca circumeuntes, reppererunt infra ipsius salti terminos loca venusta, & famulis Dei ad omnem opportunitatem congrua, proximasque nationes vndique haberi ad prædicandum. Reuersi sunt iterum ad virum Dei, laudantes loca, quæ inuenerant. Quibus vir Dei ait: Ouantes illic moremur aliquod tempus, & construamus cellam, vsque dum Dominus dederit nobis aditum proficiscendi in Italiam. Perrexerunt ergo ad locum, vnde ortus erat beatus Gallus, id est, circa lacum Turicinum, indeque peruenientes ad locum antiquum destructum, qui vocatur Narbona demorati sunt inibi cellam construentes, & euentum inter Theodoricum & Theodopertum expectantes. Cum [a] hæc agerentur ab illis, lis facta est inter Theodoricum & Theodopertum, iuxta Tulbiacense castrum, ibique prælio inito, innumera hominum multitudo ex vtroque exercitu perijt; victus tamen Theodopertus, fugit. Ea verò hora, qua apud Tulbicum bellum illud commissum est, vir Dei Columbanus, operantibus discipulis Gallo & Magnoaldo cum cæteris fratribus, qui ex Luxovio venerant, sedens supra truncum querci putrefacti librum legebat. Quem [b] sopor subitò oppressit, dormiensque quid inter duos reges ageretur, vidit. Expergefactus ministrum Magnoaldum vocat, cruentamque ei regum pugnam indicat, & humanum sanguinem multum fundi suspirat. Respondit Magnoaldus ad pedes magistri prostratus: Et ego Domine pater sopore oppressus iacebam subtus arborem abietem, & visum est mihi simul eos conflictum inter se habere, arreptoque baculo volebam Theodoricum percutere, & Theodopertum defendere, sed prohibuit me quædam species, dicens. Non [c] est tibi necesse eum icturi, quoniam Dominus citò vindicabit magistrum tuum de eo in interitu ignis. Illicò euigilans festinabam huc ad vos venire, & hanc visionem narrare, interim te vocante me. Dum ergo miratentur ambo de his visionibus, alius minister astans Eunochus nomine, temerario conatu ait: Pater mi tuis precibus præbere deberes suffragium Theodoperto, vt hostem communem Theodoricum debellaret & expellat. Cui beatus Columbanus ait: Stultum ac religioni alienum administras consilium, non enim Dominus ita vult, qui nos pro inimicis nostris orare præcepit. Et Magnoaldus inquit: Verè Domine, vestra sanctitas benè de hoc sentit, quoniam in arbitrio iusti iudicis esse debet, quid de his fiat. Theodoricus verò persecutum Theodopertum apprehendit, & ad auiam suam Brunnihildam direxit: Ipsa autem [d] eum clericum factum, nimis impiè perimi iussit. Theodoricus morans penes Metensem ciuitatem diuinitus percussus, inter flagrantis ignis incendia mortuus est, & beatus Columbanus cœlitus vindicatus. Porrò [e] Lotharius collecto exercitu, fines regni, quæ suæ ditioni tenebantur, recepit, & Sigibertum, qui ei resistere volebat, cum quinque filijs Theodorici peremit, Brunnihildam verò captam, [f] & indomitorum equorum caudis ligatam, miserabiliter vita priuauit, ipse scilicet solus trium regnorum potitur Monarchia; cognoscens quippe in hoc facto Prophetiam viri Dei impletam fuisse. Vnde & beatum Columbanum voluit magnis honoribus ditari, sed ille respuens terrenos honores, relicta Gallia atque Germania [g] Italiam ingressus est, vbi ab * Egilolfo Longobardorum Rege susceptus est, largita ei optione infra lit-

Visio SS. Columbani, Galli, & Magni.

* Theodobertum. Vide ca. 29. vitæ S. Columb. 21. Nou. & ca. 4. li. 1. vitæ S. Galli 16. Octob.

* Brigantiũ alias, à Theodoberto S. Columbano conceditur.

[a] Bellũ inter Theodoricum & Theodobertum reges apud Tulbiacum. Huc refert c. 30. vitæ S. Colũbani.

[b] Visio S. Colũbani & Magni de cruenta hac pugna.

[c] Iniuriam quã Theodoricus Rex S. Columbano intulit, habes in vita S. Columbani c. 20. & 21. & lib. primo vitæ S. Galli cap. tertio. Octob. 16.

[d] Brunnihildis auiæ crudelitas in nepotem.

[e] Lotharius regno potitur [f] Brunnihildis condignum supplicium [g] S. Columbanus in Italiam proficiscitur, vide cap. 32. vitæ. * Agilulpho.

tra Italiam quocunque in loco voluisset, habitaret. Qualiter autem beatum Gallum & Magnoaldum discipulos suos in Alamannia reliquit, non est silendum, quomodo hoc Dei consultu factum est.

X. PERAGRATIS igitur locis circa locum Turicinum, & peruenientes ad caput loci ipsius, qui dicitur Tuconia, inde venerunt ad locum Bricantium, qui tunc Constantiacensis dicebatur ad præfatam cellulam, quam ante construxerant; prædicantes populo Christum colere, & simulacra vana & surda in frusta comminuere. Ob quam causam zelo diabolico populus inflammatus propter simulacra diruta, & in frusta comminuta, cœperunt cum Sigiberto Principe tractare, vt eos è finibus suis eijcerent. Egit autem hoc arte sua diabolus, vt populum, quem in præsentia lucis per prædicationem beatorum virorum admittere cœpit, discedentes à sanctitatis fulgore, tenebris antiquis occuparet. Igitur sancti viri molestè ferentes quod sede pellerentur amabili, consilio communi inito Italiam petere decreuerunt, relinquentes beatum Gallum & Magnoaldum cum nonnullis aliis Clericis, ita dicentes. Deus enim, cui seruiuimus, Angelum suum mittet nobiscum, qui nos perducat ad * Egilolfum Longobardorum Regem, vbi eius clementia præparante humanos affectus & pace plenum habitationis locum inueniemus: vos autem æquo animo estote fratres. Igitur [a] cum iam tempus proficiscendi instaret, beatum Gallum repentina febris inuasit, pro qua re aduolutus Abbatis sui pedibus, indicans se infirmitate vehementi laborare, ideoque propositum iter non perficere. Ille verò existimans eum pro laboribus ibidem consummatis, amore loci detentum, viæ longioris detrectare laborem, dixit ei: Scio frater iam tibi onerosum esse tantis pro me laboribus fatigari, tamen hoc discessurus denuncio, ne me viuente in [b] corpore Missam celebrare præsumas. Et cum ei licentiam per se conuersandi dedisset, viam ingressus est abeundi. Audiens hæc Magnoaldus, procidit ad pedes eius, dicens: Domine pater, quid me vis agere? Si eum reliquero, absque adminiculo erit, & deficiet; tamen sequor te, si volueris, ipso relicto, sicut Petrus secutus est Dominum, relictis retibus suis. Respondit ei beatus Columbanus: Scio te Magnoalde magnum futurum esse, & lucrari Deo ex populis Orientalibus plurimum, ideoque te nolo me cum proficisci, sed relinqno te & Theodorum felicissimum nostrum Galli obsequiis parituros, vt cum omni diligentia eius recuperationi seruiatis. Dico tamen [c] tibi Magnoalde, quid te volo esse acturum, & quomodo cum eo morari debeas, futurum est enim, vt peractis aliquot diebus, Diaconatus officium ab Episcopo Constantinensi accipias: sic volo vt moreris cum Gallo vsque dum tempus veniat me ab hac luce discessurum esse. Itaque si fieri potest, vt me ægrotante, tibique Spiritu sancto reuelante, ad me venire possis, gratum est mihi: alias mihi defuncto quoquo modo sit, Domino annuente, reuelatum fuerit, sic acceleratè ad sepulchrum meum festina, & inde accipies epistolam & cambutam meam, quam affer Gallo, vt eum absoluas iudicio meo. Nuntio autem tibi quod defuncto Gallo post triennium vastatum fuerit sepulchrum eius à raptoribus, te & Theodoro inspiciente. Et [d] vt hoc factum fuerit, restaurato sepulchro eius properè festina ad locum vbi auditum habemus, quod sanctus Narcissus Episcopus diabolo præcepit draconem interficere. Ibi Domino opitulante plurimos ad fidem Christi conuertens, animas eorum lucratus eris Domino, atque habebis ibi nomen tibi à Domino impositum, & vocaberis à populo teriæ illius Magnus, propter fidem quam prædicaturus eris; Ibi enim occurrent tibi dæmones multa mala ingerentes, sed tu confortatus eris à Domino: & his dictis profectus est.

S. Columbanus & socij, à Constantiensi sede pellunt.
* Agilulphum.
a Vide Vvalfridum li 1. vitæ S. Galli c. 8 qui hinc nonnulla videtur desumpsisse.
b S. Colũb. S. Gallo missæ sacrificium celebrare interdicit.
c S. Colũb. quænam S. Magno prædixerit.
d Vide commentarium M. Velseri in vitam S. Afræ n. 89.

XI. POST eius quoque discessum Gallus retia suæ & sagenam naui imponens, cum duobus clericis suis Magnoaldo & Theodoro ad * Vvillimakum presbyterum venit. Qui susceptus ab eo, & cum omni diligentia suis adminiculis præparatis, à Magnoaldo & Theodoro procuratus est. Trãsactis aliquot diebus Domino [e] medelam impertiente, qui verus est medicus, cœpit sumere cibos; sicque per incrementa recuperationis temporum confortatus pristinæ sanitati restitutus est. Beatus verò & Felix à tanto languore liberatus, cœpit laborare in populo, vt eis viam veritatis ostenderet, & animarum morbos sua sacra prædicatione depelleret. Inuestigato [f] autem à quodam Diacono nomine Hiltibaldo, qui omnes semitas Eremi ipsius notas haberet, inuenit locum spatiosum & planicie formosum, atque bene aptum ad manendum, circumquaque per gyrum montes excelsos, torrentemque optimè fluentem, sed & feris, & bestiis atque serpentibus, nec non & diabolicis habitationibus plenum. Sumens ergo secum duos discipulos suos beatum Magnoaldum & Theodorum, ad ipsum locum peruenit, cooperante autem gratia suis sanctis intercessionibus Magnique sui pedissequi, locus ille à feris & vermibus, seu diabolicis inhabitationibus mundatus est, & cellâ factâ cœperunt ibi habitare, & Deo seruire. Porro beatus Magnoaldus expulsis à sancto Gallo ab illo dæmonibus, perrexit sursum in montem, qui vocatur Himilinberg, ibique inueniens vrsum, præcepit ei, vt discederet in nomine Domini. Et continuo audita voce abscessit. Nuntians itaque hoc latentur beato Gallo, retulerunt pariter gratias Domino, qui saluat sperantes in se.

Vide c. 8. l. 1. vitæ S. Galli.
* Vvillimarus vocatur in vita S. Galli.
e S. Gallus sanitati restituitur.
f Huc refer c. 9. 10. 11. & 12. li. 1. vitæ S. Galli.

XII. INTEREA nunciatum est illis Gaudentium Constantiensem Episcopum de hac vita emigrasse. Et hoc audito, vnanimes precibus & lacrymis institerant pro requie defuncti pastoris. Denique non post multos dies epistola cuiusdam Ducis, nomine Gunzonis allata est ad beatum Gallum; postulans, vt quantocius posset, properaret ad eum: veniensque † filiam eius vnicam à maligno spiritu inuasam liberaret. Ille verò omnino interdixit tale quid acturum se esse dignum, & ideo non veniret. Iterum atque iterum præfatus Dux deprecans tum per legatos, vt acceleraret iter, indicauit iam continuò puellam vexari, & vsque tunc tres dies sine alimonia perdurasse, & nisi celeriter aduenisset, ipsa proculdubio Spiritum cum diabolo exhalaret. Hæc itaque audiens beatus Gallus, prostratus in oratione diutissimè orauit, & confisus de Dei misericordia & pietate, sumens secum duos discipulos Magnoaldum & Theodorum profectus est, & venit ad Ducem. Domino igitur gratias agens, videns puellam à maligno spiritu valdè conturbatam, orante beato [g] Magnoaldo, imperauit beatus Gallus dæmonio in nomine Domini vt exiret. Et recessit in similitudine atri nigerrimæ cum fœtore nimio, atque eadem hora apprehendens manum puellæ, eleuauit eam. Et surrexit sana, & reddidit eam matri cum gaudio. Manifestauit autem Dominus in hoc signo, cuius meriti essent beatus Gallus & Magnoaldus, typum sequentes beatorum Apostolorum Petri & Pauli, vt sicut orante beato Paulo Apostolo Petrus dæmonibus, qui ferebant Simonem Magum in aëra, imperauit, vt eum relinquerent, & relictus cecidit, sicque diffusa sunt omnia viscera eius, mortuusque simul cum dæmonibus ad inferna deductus iacet; ita & isti orante beato Magnoaldo, & imperante sancto Gallo, dæmon à puella abscessit. His ita Domino annuente patratis, Dux iussit ei dona magna offerri, insuper [h] vt apicem gradus pontificalis dignaretur assumere postulauit. Cui vir beatus respondit: Ecce testis meus, mihique valde amabilis Magnoaldus scit, qui hoc vidit, quod altaris officium interdixit mihi Beatus Columbanus magister meus non vsurpare, nisi ab eo permissus, viuente illo: qua de re pondus huius regiminis, quod offers, suscipere non possum. Veruntamen si hoc indubitanter fieri cupis, sustine me interim, donec præsentem sodalem meum cum epistola mea mittam ad Abbatem meum beatum Columbanum, & si eius cognouero voluntatem & licentiam habuero, tunc demum oblatum onus curæ pastoralis à te suscipiam. Et Dux ad eum: Fiat, inquit, secundum verbum tuum. Sicque susceptis donis ei oblatis, dimisit eum in pace. Vir ergo Dei beatus Magnoaldus, sumens quæ donata fuerant, detulit ad nauem. Venerabilis autem pater impetrauit à Duce, vt iuberet Arbonensi præfecto, vt ei solatium præberet ad construendam cellulam suam. Et continuo Dux tam manifesto compunctus iudicio sanctitatis eius, iussit omnia fieri quæ poscebat, & construere cellulam iuxta suam dispositionem,

Vide c. 14. 15. 16. & 17. lib. 1. vitæ S. Galli.
† Fridburgam vocatâ Vvalfrido c. 4 lib 1.
g S. Gallus orante S. Magno dæmonem à Fridburga Gunzonis filia expellit.
h S. Gallus recusat Cõstantiẽsem Episcopatum. Vide c. 18 & 23 li 1. vitæ eius.

Munera Ducis pauperibus largiri iubet

nem. Vale dicens pater Duci recessit, ascendensque nauem, venit ad castrum Arbonense, & præcepit Magnoaldo, vt faceret conuenire omnes pauperes & egenos quoscunque inuenire posset, & dona quæ à Duce data detulerat, illis distribueret. Cui beatus Magnoaldus dixit: Pater, omnia quæ præcepisti, libenti animo complebo. Sed habeo vas argenteum pretiosum, vis vt reseruem illud, vt sacrum vas ministerij diuini ex eo faciamus? Ille respondit: Fili, vas quod possides cum cæteris pecunijs pauperibus conferre curato, ne contrarius inueniaris, exemplo salubri ad memoriam retinens beati Petri sententiam, quam paralytico postulanti pecuniam protulit: argentum & aurum, inquiens, non est mihi. Hæc audiens beatus Magnoaldus, gratias agens Deo de tanti viri iussione, omnia pauperibus erogauit. Et hæ expletis reuersi sunt ad dilectæ solitudinis locum, & cœperunt construere cellulam cum ingenti prudentia.

Act 3.

Vide c. 19 & 24 l. 1. vitæ S. Galli.

Nam non multo post tempore misit epistolam beatus Gallus ad Ioannem Diaconum, rogans eum, vt veniret ad se. Qui cum venisset ad eum, erudiuit eum diuinis libris scientiæ, & cooperante gratia Dei, constituit eum coram Duce plenum scientiæ & virtute, atque diuinarum scripturarum intelligentiæ: dicens: Hic est indigena vicinorum locorum, cui meritò testimonium potest aptari quod viro decet, diuino eum credens electum iudicio vobis offero promouendum. Cumque hac attestatione vir sanctissimus Ioannem laudaret, Dux eum cum electione populi, velit, nollet, collecta congregatione cæterorum Episcoporum Pontificatum Constantiacensis ciuitatis ei tribuit, immò à vicinis Episcopis ductus ad altare solenni benedictionis officio ordinauerunt antistitem. Doctor itaque venerabilis his perpetratis, memor sancti viri Prophetiæ Columbani de Diaconatus officio beati Magnoaldi futurum à Constantiacensi Episcopo fore inter multa salutiferæ consolationis verba hæc sæpius inculcauit, vt beatum Magnoaldum, qui erat iam cum eo omnium veneratione sublimis, congruo tempore aduenienre, initium quadragesimalis ieiunij, primo Sabbati ieiunio perpetrato, diuino eum commendaret iudicio ad Diaconatus officium peragendum, cui Ioannes Episcopus respondit. Magister, paterna sollicitudine mecum his diebus eum relinquite, vt aduenente ieiunio quadragesimale quatuor temporis futuri facias quod hortaris. Quo audito beatus Gallus paterno honore omni necessitatum subsidio relinquens eum iustissimo Magnoaldo, ingenti venerabilis patris familiaritate confisus, cum multiplicato commendauit amore. Perueniente autem sancta sollemnitate venturi quadragesimali, beatus Magnoaldus accepta à Ioanne antistite sacra benedictione Diaconatus officij, reuersus est cum gratiarum actionibus Deo relatis ad cellam beati Galli Abbatis.

Ioannes Diaconus Constantiensis creatur Episcopus.

Præsagium hoc S. Columbani habes ca. 7

S. Magnus ordinatur Diaconus.

X.

Cœperunt autem tunc temporis ædificare Ecclesiam beatus Gallus & Magnoaldus, construere monasterium mansiones per gyrum ad commanendum fratribus præparare, suffulti Regis Sigiberti & Ducis Gunzonis adiutorio. Construxerunt ergo monasterium miræ magnitudinis, & fratres in ibi coadunatos doctrina & exemplo ad æternæ vitæ desideria concitauerunt. Othmarum puerum ex Alamannorum genere curiose nutrientes, atque doctrinam Grammaticæ artis seu diuinorum librorum eum erudientes, magistrum scholæ constituebant.

SS. Gallus & Magnus monasterium construunt.

XI.

Vide c. 1. vitæ S. Othmari. 16. Nouemb.

Quadam[a] verò die dum post matutinalis officij laborem quiescendi gratia lectos suos reuisetent, primo diluculo vir Dei vocauit Magnoaldum Diaconem suum. & dixit illi: Instrue sacræ oblationis ministerium, vt possim diuina sine dilatione celebrare mysteria. Et ille: Num tu, inquit, pater Missam celebrabis? Qui dixit illi: Post huius vigilias noctis, dominum & patrem meum Columbanum[b] cognoui per visionem ad cœlos de huius vitæ angustiis migrasse, pro eius ergò requie salutis hostiam debeo immolare. Et signo pulsato, oratorium ingressi, & in orationem prostrati, cœperunt Missas agere, indesinenter postulantes pro commemoratione beati Columbani. Finito sacræ deuotionis officio, venerabilis Gallus dixit ad Magnoaldum Diaconem. Fili, non tibi graue videatur petitionis meæ pondus, sed[c] arripe viam & Italiam petito, pertransiensque vsque ad monasterium, quod Bobium nominatur, diligenter perquirito, quid actum sit circa Abbatem meum. Nota ergo diem & horam, vt si eum compereris esse defunctum, possis agnoscere, vtrum visio mea veritatis fulciatur effectu. Hæc ergò omnia sollicita inuestigatione perdiscens, regressus nunciabis mihi. Diaconus ad pedes magistri prouolutus ignotum sibi iter conquestus est. Sed vir benedictus voce blanda eum ne timeret, ammonuit. Perge, inquit, & Dominus diriget gressus tuos. Hac consolatione roboratus pij doctoris alumnus præcepto parui, & accepto benedictionis viatico viam festinanter aggressus est, memor[d] Prophetiæ beati Columbani, qui asseruit eum venturum esse ad sepulchrum suum in Italia, & camburtam suam adsumere, sanctumque Gallum per eam absoluere. Cumque peruenisset ad monasterium, vt volebat, inuenit omnia ita contigisse, sicut patri suo per visionem fuerant reuelata. Mansit autem vna nocte ibi, & accepit à fratribus epistolam ad beatum Gallum, continentem venerandi transitum Columbani. [e] Qui & baculum ipsius, quem vulgo Camburtam vocant, per manum Diaconi transmiserunt, dicentes; Sanctum Abbatem suum ante transitum iussisse, vt per hoc notissimum pignus Gallus absolueretur. Dimissus autem ab illis iter acceleraui, & prosperè in omnibus agens, die octana venit ad sanctum Patrem, ferens epistolam absolutionis indicium. Lecta epistola sanctus Gallus lacrymas profudit vberrimas, & collectis fratribus causas mœroris aperuit. Deinde tanti patris memoriam precibus sacris & sacrificiis salutatibus frequentauerunt.

XII.

a Huc refer c. 25 l. 1 vitæ S. Galli.

b S. Gallus transitum S. Colũbani cognoscit.

c S. Magnus in Italiam à S. Gallo mittitur.

d Prophetiã hanc habes supra ca. 7.

e Baculum S. Colũbani S. Gallo transfert, cum epistolis absolutionis.

Interea commanens beatus Magnoaldus cum sancto Gallo ferè annis decem post perpetratum iter ab Italia. Decimo verò anno videns eum infirmari, & à febrium constrictione languescere, misit nuncium ad Ioannem Constantiacensis Ecclesiæ præsulem, inuitans eum ad beatum Gallum, qui valde infirmitate iam febrium detinebatur. Audiens ergo Episcopus illum infirmari, velociter properare cœpit in partes illas. Cumque iam prope oppido Arbonense Ioannes Præsul appropinquaret, B. Gallus à febrium vi valde fatigatus, expletis annis ætatis suæ nonaginta quinque in senectute bona illa anima carne soluta est, & ab ergastulo sæculari liberata. Itaque præfatus Præsul audiens beatum * virum ab hac luce discessum, flens & eiulans peruenit ad locum, vbi sanctum corpus iacebat. Expletis verò obsequijs tanti viri, cum beato Magnoaldo expleta oratione feretrum cum corpore sancto imposuerunt super equos indomitos, & absque freno vel duce eos dimiserunt ire, vbi Dominus iuberet. Equi autem indomiti ferentes feretrum mansuetè, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinantes, recto itinere peruenerunt ad cellam, quã vir Dei sibi construxerat. Et cum peruenissent ante oratorium, steterunt, depositoq; feretro discipuli eius Magnoaldus & Theodorus cleriũtes sanctum corpus intulerunt in Ecclesiam, & ante altare posuerunt, deinde pariter cum Episcopo orationes congruas facientes sepelierunt eum, Episcopo autem ad propria remeante reliquit beatum Magnoaldum & Theodorum, nec nõ & Othmarum virum pulcherrimum cæteris fratribus non plurimis, ad custodiendum sancti viri corpus.

XIII.

Huc refert c. 28 29. 39 lib. 1. vitæ S. Galli.

S. Gallus excedit è vita.

*f. vri.

Ad Cellam S. Galli funus defertur.

Igitur post triennium, vt compleretur prophetia beati Columbani, quòd ante prædixerat beato Magnoaldo venturum forè de sepulchro sancti Galli. Otvvinus pessimus dux, & * Erchonaldus præfectus consimilis eius, collecta multitudine populi vallauerunt ipsum cœnobium, & euaginatis gladijs frangẽtes ostia, & sumentes omnia, quæ ibi repererunt in auro & argento & cæteris vtensilibus, nec non & [f] oratorium ingressi fregerunt sepulchrum beati Galli, putantes ibi magnum thesaurum absconditum esse. Vt autem nihil in eo inuenerunt, (nisi relicta ossa B. Galli inhumata,) interfecerunt omnes, quos reppererunt, præter B. Magnoaldum & Theodorum, quos etiam flagellatos ac vulneratos, atq; despoliatos reliquerant iacentes in atrio.

XIV.

Huc refert c. 1 l. 2 Vitæ S. Galli Vaticinii hoc S. Colũbani habes supra cap 7.

*al. Et vrivus & Erchanoaldus

f Violatur Sepulchrum S. Galli.

XV. AVDIENS hoc * Boso nomine Constantiacensis Ecclesiæ Præsul, quod violatum esset sepulchrum S. Galli, celeriter properatus est partes in illas, & veniens illuc, inuenit cœnobium desolatum, altaria nudata, Beatos Magnoaldum & Theodorum vulneratos, qui sacri corporis reliquias tumulo restituere volebant, sed non habebant vires. Tũc præscriptus Episcopus misericordia motus super eos consolatus est valdè, & sacrum[a] corpus B. Galli cum suis Clericis venerabiliter cum psalmis & hymnis, cæterisque orationibus in eodem sepulchro recondidit, fossamque terra repleuit. Data ergo benedictione duobus fratribus Magnoaldo & Theodoro largitus est de suo vestimento, nec non alimonia præbens, dedit eis licentiam proficiscendi, vbi illis Dominus dispositum iter haberet veniendi.

alias Bossonem cognominatum a Boso S. Galli corpus recondit.

XVI. MISIT autem post Othmarum præclarum virum, qui fugam iniens euaserat, & accersiuit eum, & commendauit illi locum, donec à † Pippino, qui tunc temporis maior * dominus vocabatur, interrogaret, quid de ipso cœnobio fieri vellet: Vltio diuina venit super Erchonaldum auctorem huius sceleris, & Otvvinum ita. Nam non post multum temporis misit Pippinus exercitum copiosum ad deuastandum Alamannorum prouinciam, suæque ditioni & Francorum subiugandam. Cumque tota terra hostili repleretur incursu, Otvvinus & Erchonaldus nescientes, qua parte se flecterent, semetipsos gladio interfecerunt, quatenus vltio diuina in eos peracta collata signa manifestent. Magnoaldus itaque & Theodorus prostrauerunt se simul in oratione, Domini misericordiam implorãtes, vt disponeret iter illorum secundum suam voluntatem pattibus orientis ne quasi fraudulenter abscedentes beati Patris corpus relinquerẽt: Memores iterum prophetiæ beati Columbani, qui dixit: venturum fore beatum Magnoaldum in Eremo orientali, ad fontes alpium Iuliarum, vbi beatus Narcissus Episcopus Tolosanæ ciuitatis iussit Diabolo draconem interficere, quãdo sanctam Afram conuertit ad fidem. Sequenti vero nocte per visionem beato Magnoaldo demõstratum est, vt fiducialiter pergere, Domini adminiculum sibi semper nosset adesse. Facto igitur mane iterum orationibus attẽtius exorati sunt, vt Dominus eis demonstraret viam & iter commodum quomodo vellet eos illò ire. Adueniente ergò meridie presbyter quidam ex ipso pago aduenit Tozzo nomine, qui iam auditam habebat famam beati Galli, & ideo caussa orationis veniebat ad sepulchrum eius, ferens ardentem cereum in manu eius. Quem[a] cereum miro modo illuc attulit, scilicet vt quando nocte proficiscebatur, cereus ardebat, & nullo modo à vento extingui poterat. Cumque viderent eum Magnoaldus & Theodorus venientem, cereum quippe per ardorem minime minui, admirati obuiauerunt ei, & interrogauerunt, vnde veniret. At ille per ordinem exposuit, vnde erat, & quomodo ei reuelatum fuerit, vt visitaret sepulchrum beati Galli, immo eos, quos inueniret, velle proficisci pattibus Orientis, recto itinere duceret eos, vsque dum ad locum desideratum venirent. Illi hæc audientes prostrauerunt se in orationem, Domino gratias referentes, qui talem ducem eis ostendere dignatus est, vt neque per angustam viam eos errare permitteret, & tunc demum suscepetunt Presbyterum, deosculantes eum, duxerunt in Ecclesiam ad sepulchrum beati Galli: factaque oratione, duxerunt eum in hospitium suum, tribuentes ei, prout poterant necessaria. Et conuiatorem eligentes, sicque præfatus Presbyter pernoctans cum eis, orto mane orantes coram sepulchro beati Galli, & benedicentes Deum, atque valedicentes fratribus, qui ibi erant, simul profecti sunt, arripientes iter iuxta lacum Brigantium, vsque ad locum, qui dicitur Brigantia, ibique morati sunt dies duos.

Othmarus cellæ S. Galli præficitur.
† Vide c 10. lib. 2 vitæ S Galli.
* leg. domus.
Pœna violatorum oratorij S. Galli
Vide ca 2. lib. 2. vitæ S Galli.
Vaticiniũ hoc habes supra c 7.
Vide comment. M. vvelseri in vitam S. Afræ nu 8.
a Nota de cereo miraculum.
S Magnus cum Theodoro duce Tozzone Brigantiũ venit.

XVII. TVNC illis ibi manentibus, cæcus quidam, qui multorum hominum cognitioni pago in illo notissimus erat, obnius erat Magnoaldo, postulans ab eo alimentum. Ille reminiscens sententiæ Apostolicæ dixit: Non sum ego dignus me æquiparare suæ sanctitati, qui dixit: Argentum & aurum non est mihi, sed in nomine eius, qui ei potestatem dedit, vt faceret quod fecit, & cæcum illuminauit, aperire oculos tuos imploro vt videas, & manibus tuis laborando victum acquirere possis. Et hæc dicens liniuit oculos eius cum saliua sua. Nec mora sanguis ex oculis eius prorumpẽs, aperti sunt, & videns corruit ad pedes eius, dixit: Domine, video, quoniam magnus es tu, & magna opera tua, ideo si vis, sequarte, quocunque ieris. Ille respondit: Si vis Domino seruire, tunc sequere me. Sicque post hoc signum profecti sunt, secutusque eos cæcus, & dux itineris, nomine Tozzo.

Act 3
S Magnus cæcum illuminat.

XIIX. VENERVNT itaque post aliquot dies ad locum, qui vocatur Campidona, vbi reperetunt oppidum valdè formosum, sed in toto desertum. Tunc interrogauit beatus Magnoaldus presbyterum quomodo ille locus vocaretur, vel fluuius, qui ibi defluebat. Ille respondit. Locus iste ab incolis terræ huius sæpissimè visitatur, & vocatur Campidona, sed non sunt ausi saltem vna nocte hic manere propter diuersa genera vermium, qui hic sunt. Fluuius verò vocatur Hilara, qui multos homines potius in mœrorem vertit, quam in lætitiam. Nobis autem oportet velocius transire, ne vermes nos hic esse sentiant, quoniam si senserint, magnum impetum facient super nos ad deuorandum. Plurimos namque homines, qui causa venationis huc venerunt, deuorauerunt, non permittentes eos saltem vna nocte hic iacere. Respondens beatus Magnoaldus dixit: Verè Dominus noster Iesus Christus potestatem habet similiter hos vermes de isto loco eijcere, sicuti habuit eijciendi vrsos & lupos, cæterasque feras & vermes, nec non & Dæmones per orationem Domini & magistri nostri Galli, de loco, quem ipse elegit, ad construendam cellam. Nobis ergo, permittente Domino, oportet hac nocte hic manere, & dixit ad Theodorum. Frater, tuum est orare, & Domini misericordiam implorare, vt nobis auxilium præbeat ad eijciendos vermes de loco isto, & Dæmones qui in eis latitant, quoniam à te est iste locus construendus, ideoque oramus pariter, vt Dominus nos exaudire dignetur, & mundare istum locum, quod est ab hominibus propter timorem vermium inhabitabile. Et hoc dicens, prostrauerunt se in orationem. Dum verò orarent, egressus est foris de oppido vermis magnus qui dicitur Boa, & impetum faciens super beatos viros, iacentes in oratione. Presbyter verò Tozzo, qui eos ducebat, videns eum, exclamauit voce magna, dicens. Heu me, quod huc vos adduxi, & in fugam versus, & cum eo qui * cæci fuerant, festinabant ad arborem, vt se liberarent. Itaque beatus Magnoaldus & Theodorus confisi de Dei misericordia, surrexit Magnoaldus Theodoro oranre, & faciens signum sanctæ Crucis coram se, arripiensque cambuttam, quam à Beato Gallo acceperat, & Crucem quam secum portabat, perrexit in occursum vermi, & dixit. Impero tibi in nomine Domini mei Iesu Christi, vt hic iaceas, & Diabolus qui in te latitat, ipse te interficiat. Et cum hoc dixisset, percussit eum cũm cambutta in caput, & statim crepuit medius, & mortuus est, cæteri verò vermes qui in oppido, & circa oppidum ipsum morabantur, omnes in fugam versi sunt, & nusquam comparuerunt. Sicque mundatus est locus, & morati sunt ibi vnam hebdomadam Domino gratias referentes, qui eos audire dignatus est.

Videcomment. M. Velseri in vitam S. Afræ nu 90.
* f. cæcus fuerat.
Boam seu Bouam Serpentem interimit; est autem serpens aquatilis, quam Græci ὕδρον vocant: à quo ictu obtuguescunt vt habet Festus.

XIX. THEODORVS itaque vt vidit tam magnum signum factum à Domino & B. Magnoaldo, surrexit, & eleuatis manibus ad cœlum dixit. Deus omnipotens, qui fecisti cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. tibi gratias refero. te inuoco, te adoro, tibi laudes psallo, qui nos liberare dignatus es à tanto periculo, & à tali deuoratione vermium. Et cum hoc dixisset, cucurrit ad beatum Magnoaldum * flexis genuis, osculatus est pedes eius, & dixit: Verè: non vocaberis vltra Magnoaldus, sed Magnus, quoniam tibi Dominus tantam gratiam intulit, vt per te iste locus pacificaretur, non solum à vermibus: sed etiam à dæmonibus. Adhæc beatus Magnoaldus, Noli dicere frater, non sum Magnus, sed minimus seruus seruorum Dei. Tuæ ergò orationes exauditæ sunt à Deo, & ideo non meis meritis, sed Dei

* f. & flexis genibus.
Magni nomen vnde S. Magnoaldo impositum.

iussione isti vermes recesserunt. Nunc autem voca conuiatorem nostrum, & purgemus locum istum, quia Dominus vult eum præparare ad ædificandam cellam. Tozzo autem vt vidit eos ambos incolumes esse, descendens de arbore, ad quam confugerat, & cum eo, qui cœcus fuerat, prostrauerunt se ad pedes eorum. Et ait Tozzo. Vere Dominus est in loco isto, qui beato Magno tantam gratiam contulit, vt cũ sua cambutta tale signum inauditum faceret. Nunc ergo fiducialiter ducam vos per deserta & angusta loca, vsque ad locum, quem electum habetis ad manendum, quia video tantam à Deo vobis concessam potestatem, vt per vestra merita diuersa hæc loca purificentur, & quæ nunc sunt inhabitabilia, Domino annuente habitabilia efficiantur. Respondens beatus Magnus dixit: Præsentem hebdomadam hic maneamus & ædificemus oraculum paruulum, vt discat populus terræ istius qualem misericordiam eis Dominus conferre dignatus est in loco, manserunt q; ibi ipsam hebdomadã. Tozzo vero cucurrit per vicina loca sibi cognita ad homines, qui ibi morabãtur, & diffamans hoc signum. Venerunt ad illum locum, & attulerunt alimonia sufficienter, nimis valde admirantes de tanta virtute Dei, & plurimi per prædicationem beati Magni ad fidem conuersi, & baptizati à Presbytero Tozzone, & Domino gratias agentes, manserunt ibi colentes terram illam. Transactis tribus diebus illis pernoctantibus in oratione, die verò laborantibus.

XX. Cvm verò tertia nocte aurora diei surgentes celebrare vellent matutinales laudes, subitò dæmones in aere volantes, eiulantes cum magno strepitu & fremitu voces emittentes, quasi impetum supra Tozzonem Presbyterum facientes clamabant. Tu inimice senioris nostri & noster, vt quid induxisti virum istum cum socio suo, qui & nos, & membra nostra, per quæ multas animas lucrabamur à loco isto euellit? Magister autem illorum semper nos cum suis maleficijs, sicut & iste inuocato nomine Domini vincere consueuit. Iste verò non solum nobismetipsis, verum etiam in membris nostris cum terribili nomine Adonai victos habet & expulsos. Hoc audiens præfatus Presbyter Tozzo tremefactus, tamen muniens se signaculo sanctæ crucis, festinus perrexit ad virum Dei, & indicauit illi, quæ viderat & audierat. Tunc bellator fortis & electus Dei pariter cum Theodoro prostrauit se in orationẽ, & huiuscemodi verbis Dominum deprecatus est dicens: Deus omnipotens, ineffabilis & inæstimabilis, qui nos secundum misericordiam tuã, non secundũ merita nostra à membris istorum Dæmonũ, & à venenis mortiferis illorũ eripere dignatus es, tu auditu placido has à nobis suscipe preces, sicut suscepisti Magistri nostri Galli, & iube hos Dæmones hunc locum deserere, vt sit sanctificatus in honore nominis tui quotidie * canranti gallis. Et surgens ab oratione, egredientesq; de oratorio audierunt eos clamantes, & eiulantes atq; clamantes. Tu Magne tria nomina portas in capite tuo, & cum trinitate nobis tanta mala objicis? Et tu Theodore quid tibi est nobiscum? Venient dies, quando non habebis Magnum apud te, & tunc pugnaturi erimus aduersum te per varios errores, homines terræ illius aduersum te excitantes. Sanctus verò Magnus respondens dixit. Miseri, confitemini si scitis sanctam Trinitatem Dei. Et illi dixerunt. Scimus eam ineffabilem esse & immensam. Et beatus Magnus. Nunc iam, quia confessi estis sanctam Trinitatem, impero vobis non meis meritis, sed per immensam potentiam Trinitatis, vt hunc locum deserentes in montes desertos eatis, vbi Dominus voluerit, & huc reuertendi vlterius potestatem non habeatis, ad hanc vocem continuo Dæmones dixerunt. Heu quid faciemus? Alium Gallum hic habemus. Iste Gallus peior est priori, quia cum suis Gallicinis nos & membra nostra pariter eijcit, sed nec in Eremo permanere permittit. Porrò ex illa die tam pleniter abscesserunt, & in fugam versi sunt, vt postea ibi non comparerent. Et sic factum est, vt ab illa die omnes homines in illo loco tranquille habitare permissi sunt.

*f. ac cap. Galli.

Dæmones expellit.

S. Magnus Theodoro Campidonam committit.

XXI. His itaq; gestis beatus Magnus Diaconus dixit ad Theodorum Deo gratias frater, quia dæmones recesserunt. Nũc bonum est vt locus iste à te custoditus & constructus sanctificetur, populus istius loci, qui deinceps venturus est, hic adorandum potius, quàm ad venandum. Theodorus respondens dixit: Mi domine iuxta præceptum tuum facio, sed vt audiero te consolidatum in locum à Deo tibi electum, venio ad te, & visitabo te. Et his dictis valedicentes, seque inuicem deosculantes, profectus est beatus Magnus, accepto secum conuiatorem & ducem itineris Tozzonem Presbyterum, relinquens cum Theodoro cæcum, qui visum recepit. Itaq; cœpto itinere, transitoq; fluuio pertexit recto tramite, sicut eum viator ducebat, sicq; venerunt ad locum, qui vocatur Eptaticum, & inuenerunt ibi Episcopum sanctæ Augustæ Vindelicensis Ecclesiæ nomine Vvictherpus. Tozzo igitur propter notitiam, quam in Episcopo habebat, præcessit B. Magnum, venitq; ad præfatum Episcopum, & narrauit ei omnia de sancto viro, quæ viderat & audierat. Præfatus autem Episcopus interrogauit de qua origine esset. Et respondit Presbyter: Domine sicut audiui à Theodoro, qui nunc est electus ad Campidonam, de Hibernia prouincia est ortus. Vt autem audiuit Episcopus eius famam bonam, suscepit eum benignè, cœpitq; cum eo loqui, & moratus est cum eo paucos dies, sciscitans ab eo quotidiè de beato Columbano & Gallo, & de itineribus eorum, & conuersatione, & fine vitæ eorum, ac de virtutibus, quas fecerunt. Deinde interrogauit eum, vbi voluntas eius esset proficiscendi. Respondens beatus Magnus dixit: Domino disponente directus sum ad locum, qui vocatur Fauces, vbi propè sunt fontes alpium Iuliarum, & vbi Draco fuit, qui iubente Narcisso Episcopo à Diabolo interfectus est, quatenus annuente Domino quidquid boni ibi ædificare petero faciam. Nunc igitur paternitas tua decernat, quomodo voluntas tua sit * me agendum, quoniam ad tuum imperium prompto animo debeo agere, sicuti Dominus reuelauerit mihi per os tuum. Ego iam senex & grandæuus, cupio in vltimo meo tempore illum locum inuisere, & Deo ad seruiendum præparare, exemplum sequens dominorum meorum Columbani & Galli. Ad hæc Vvictherpus Episcopus respondit: Locus ille valde angustus est & inhabitabilis, & iam diuersa fera ibi morantur, id est, cerui, apres, plurimi vrsi: & propter illorum multitudinem domnus Rex Pipinus ad suam venationem exercendam saltum illum tenet. Vermes etiam plurimi & diuersi generis ibi morantur. Beatus Magnus arripiens statim boni pastoris initia dixit: Pater tale ministerium habuerunt magistri mei Columbanus & Gallus, vt quando ad talia loca venerunt, Dominus noster Iesus Christus feras diuersi generis, & vermes per orationem illorum illico expulit ab illis locis. Similiter ego credam, quod Dei misericordia non permittet eos manere in ipso loco, dum aduenero. Adquieuit autem verbis illius Vvictherpus Episcopus, & dedit ei solamina ciborum, præbens ei conuiatorem Tozzonem presbyterum, & duces itineris qui eum perducerent ad locum à Deo sibi destinatum.

*me agendum, videtur redundare.

Eptaticum venit.

Proficiscitur ad locũ qui Fauces dicitur.

Ad caput equi venit.

XXII. Cvmqve venirent ad locum, qui vocatur Caput Equi, iacebat ibi in vno loco angusto Draco magnus, qui non permittebat vllum hominem per illam viam transire. Cum ergo beatus Magnus iam prope ipso loco esset, dixit ad Tozzonem presbyterum: Frater, construamus nobis hic tabernaculum hac nocte manendum, & oremus Deum, vt expellat præsentem, membrum diaboli, ab isto loco, atque aditum permittere dignetur nobis ad properandum. Fecerunt itaque vt imperauerat, & manserunt ibi. In tota autem nocte illa non cessauit beatus Magnus orare, & Domini misericordiam implorare, vt Draconem subuertere dignaretur. Circa verò mediam noctem surgens beatus Magnus dixit ad Tozzonem. Mitte mecum hominem qui me ducat ad locum, vbi Draco iacet. Respondit Tozzo. Timeo igitur si te illuc adduxero, ab eo deuoreris. Ad hæc vir sanctus. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Pergamus ergò fiducialiter, quia qui liberauit Danielem de lacu leonum, potest & me eripere de manu huius bestiæ. Itaque cum hoc dixisset, misit in peram suam panem sanctificatum, & manu sua sumens picem & resinam, atque cambuttam sancti Galli, Crucemque in collo suo appendens, perrexit & dixit: Deus omnipotens,

Daniel. 6.

nipotens, qui eduxit me de regione lōginqua, ipse sicut Tobiæ famulo suo mittet Angelū suum mecū, qui liberet me ab ore ipsius Draconis, & ostendat nobis locum salutaribus desideriis aptum. Et hæc dicens, muniuit se Signaculo S. Crucis: & de pane sanctificato misit in os suū, & paululū aquæ, sicq; venit ad locū, vbi Draco iacebat, relinquens omnes socios in tabernaculo præter solum Ducem itineris. Cumq; vidisset eū Draco ilico surrexit, impetū faciens super eum. Ille habens in manu picem & resinam proiecit in os eius, inquiens, adiuua me Domine Deus meus. Et cum hoc dixisset, confestim Draco cœpit ardere, & mortuus est. Vt vidit ille qui cū eo erat hoc actū, surrexit cōtinuo, & puenit ad socios, & dixit: Surgite, venite & videte, quia iste magnus vir Draconē interfecit. Surrexerunt ergo & inuenerunt beatū Magnū iacentem in oratione, & gratias Domino referentem. Dignum quippe erat, vt q̄ diuino inchoabat amore, instantissima prece Dño commendaret, quoniam Dominus sicut per os B. Narcisci Episcopi Diabolum iussit interficere Draconem: ita & per manus tāti viri sociū eius fecit interire. Vt viderūt a. Draconē interfectū, descenderunt ad rupē, de qua idē Draco impetum facere nisus est super sanctum virum: presbyter Tozzo dixit: Gratias tibi agimus Dñe, qui nobis talem virum & tam magnum ostendere dignatus es, vt per merita sua ista loca purificentur efficianturque habitabilia, quæ ante erant inutilia. Tob 5. Draconem interficit.

XXIII FACTA vero oratione transierunt illum angustū locū, & venerunt per viā, iuxta Licū flumen ad locū speciosū qui non habebat nomen, erat tamen *planies bona. Habebat a. B. Magnus Diaconus pendentē in collo Crucem, in qua continebantur Reliquiæ B. Dei Genitricis Mariæ, & de lōgno S. Crucis atq; sanctorum martyrum Mauricii & sociorū eius, nec nō beatorū confessorū Columbani & Galli. Inuenit ergo supra præfatum flumen locū valde honestum & formosū, in quo loco arborē stantē pomiferā valde decorā. suspendit q; Cruciculam in ipsa arbore, & vocauit Tozzonē presbyterum atq; prostrauerunt se pariter corā Crucicula in orationē. Tum vir venerabilis beatus Magnus huiusmodi preces emisit. Dñe Iesu Christe qui p̄ salute generis humani de virgine nasci & mori dignatus es, ne despicias deprecationē meā sed permitte nos construere in hoc loco oraculum in honore genitricis tuæ, & præpara hic habitationem tuis seruitiis aptā. Finita vero oratione cœperunt cōstruere fundamentū, & ædificauerūt Ecclesiā. Qua constructa inuitauerunt VVictherpū Episcopū, vt veniret, & cū Dño & S. Mariæ dedicaret. Venit ergo præfatus Episcopus ad illū locū, admirans valde quomodo illuc venire possent, nisi per gratiā Dei, & dedicauit Ecclesiā in honore Dei genitricis Mariæ & sancti Floriani Martyris Christi, & sic amministrare cœperūt ad laudē Christi in illo loco diuina officia. Igitur cū fama virtutū, quas Dñs per beati Confessoris sui merita piè quærentibus exhibere dignatus est, vt longe lateq; circumpositorum mulceret aures populorum, cœperunt vndique alacri deuotione ad tanti patris suffragia postulanda concurrere, eundemque locum ob suæ dignitatis memoriā, Cellam S. Magni nuncupare, & multiplicibus substantiæ seu possessionū amplificare donariis. *f. planitie. Ecclesiam construit quæ à VVictherpo Episcopo Augustano dedicatur. Cella S. Magni.

XXIV CVMQVE res hac largitate fideliū accidissent collatæ, secessit vir beatus propter multitudinem populorum, & perexit ad vicina loca, quæ vocantur Fauces, quatenus ibi familiarem locum Dño annuente sibi construeret ad manendū, relinquens præfatum presbyterum Tozzonem in Ecclesia populum illuc venturum custodiendum, vocauitq; ipsum locum Synagoga, id est, congregatio populorum. Ergo cum circa meridiem causa quietioris vitæ ad paruum locū tenderet, & in supradicto loco requiescere, subito Dæmones à monte vicino cum magno strepitu de vertice montis proximi quasi vna voce vocauerunt, alios in pelago fluui Lechi consistentes, quasi nominatim. Cumq; & hi qui vocabantur præsto se esse responderent, aiunt ipsi de mōte: Surgite nobis in adiutoriū, vt peregrinū istum pessimum & magnū eiiciamus de his sedibus, quoniam ipse more Galli sui simulacra nostra contriuit, & populū, qui nos sequebatur, per se auertit, insuper & Dracones nostros interfecit. Cōmoueat a. vos iniuria quam patimur, & iuncti viribus præsentem hostem communē à nostris terminis funditus expellamus. E contrario ipsi de profundo responderunt: Heu quid de vestris narratis angustiis, nos ex nostris iam percipimus calumniis: nam Angelus eius iā nos in pelago peremit, & nec ausi sumus ex pelago transire, nec quicquam eiūs contingere, quia inuocato nomine Domini, Angelus cū flagellis igneis nos flagellat, & recedere cōpellit. Quā propter nec vobis prodesse valemus, nec nobis, quia tam fortis bellator est iste, vt nostræ versutiæ saltē nec fimbriam vestimenti eius superare queant. His auditis vir Dei B. Magnus, muniuit se vndique Signaculo S. Crucis, & dixit illis: In nomine Dñi mei Iesu Christi, non pro meis meritis, sed per merita B. Galli Confessoris Christi, adiuro vos vt recedatis ab isto loco, & vlterius neq; hic manere, nec neminem lædere præsumatis. Et his dictis festinus rediit ad Ecclesiam sanctæ Mariæ, quam construxerat, narrauitque Tozzoni presbytero omnia q̄ audierat in illo loco. Cumque voluissent vespertinum tēpus psallere, audiæ sunt diræ voces dæmoniorum per montiū summitates, quasi discedentium eiulatus cum terrore profusi. Et hæc audientes serui Dei prostrauerunt se in orationem Dño laudes & gratias persoluentes, qui eos liberare dignatus est de terrore malignorum spirituum. Sequenti vero die beatus Magnus cum presbytero Tozzone regressus est ad præfatum locum, & ibi construere cœperunt oraculum paruissimum, accersitusque est à Tozzone VVictherpus Episcopus, & dedicauit ipsum oratorium in honore & sub nomine sancti Saluatoris. S. Magnus ad Fauces venit. Dæmones expellit. Oratorium construit, quod à VVictherpo Episc. dedicatur.

XXV. IGITVR cum fama virtutum, per confessoris sui merita, quas Dominus illo in loco exhibere dignatus est, venerabili Episcopo nota facta sunt, quosdam religiosos Clericos in discipulatus eius memoriā cōmendauit. Qui diuino amore succensi, per viginti quinq; annorū curricula, obsequia p̄bentes ad laudē Christi die ac nocte, horis atq; momentis iussu suo obediēbes. Relicta itaq; venerabili patri q̄ necessaria erant ibidē degentibus, profectus est præfatus Episcopus VVictherpus ad gloriosum Regem Pippinum, qui tunc temporis Germaniam totā, Galliamq; regebat, secum epistolā portans B. Columbani q̄ ad Lothariū direxit, flagitans, p̄ sanctis viris Gallo & Magno consistentibus in regno suo, vt eos benigne per amorem Dñi foueret, eisq; familiaria loca, prout oportunū foret, in sua mercede tribueret. Sed hoc Lotharius minime implere valuit, propter diuersorū inimicorum Dei infestationes. Præfatus Rex propter amorē & petitionem fratris sui Karlomani, qui propter Deum relinquens temporalem regni gloriæ pompā, monasterio se tradidit, qui eleemosynæ suæ largitate, nec non & per petitionē præfati Episcopi ipsum locū sublimare in aliquo solatio dignaretur. Cumq; gloriosus Princeps accepisset epistolā compunctus ex petitione fraterna diligenter exqrere cœpit, qualis ille locus esset, quē præfatus episcopus postulasset. Tunc dux eius nomine Gunzo ex prouinciis Augustense & Retiæ respondens dixit: Vere Dño Rex, ille locus tenuis quidē facultate est, sed optimus si impeditio vermium deesset ad venandū, quia plurimi cerui, damulæ, & hinnuli, ibicesque diuersi morantur, vrsorum quoq; ac luporū multitudo plurima. Tunc Episcopus cœpit narrare de virtutibus beati viri quomodo Dño adiuuante Draconē interfecit, & cæteras virtutes quas Dñs p̄ merita ipsius & orationes in illis locis ostendere dignatus est, & quomodo à vermibus locus ille mundatus est. Hæc audiens gloriosus Rex Pippinus cōmotus valde animo dixit. In veritate cōperi, quia quāuis locus tam tenuis sit facultate, tamē pro meritis tanti viri celebri erit diffamatus rumore, sicuti auditū habemus iam locū esse, vbi corpus B. Galli requiescere videtur. Inquisiuit ergo à præfato Gunzone, quomodo in vicina loca potuisset tributarios inuenire de eodem pago, qui vectigalia annuatim redditibus regiis inferre debebant. Et inuenit in ipso vicino loco pagum, quod vocatur Gelstinstein sibi per omnia annuatim tributa persoluere. Inter cætera ergo munificentiæ suæ dona, quæ impertiuit beato viro, dedit ei totū ipsū saltū, cum marcha firmitatis, quæ in epistola sua fecit conscribi, & vect galia CXIII. quæ ex præfato pago inferre debēt annuatim, quatenus pro memoria beneficiorum eius perpetuo ibi permaneret. Et ne quisquam ex successoribus eius tanti obsisteret boni, fecit conscribi suæ firmitatis epistolam, atque vt mos est regum, circumspecta roborari cautela, quatenus de inceptam ipse dum viueret, quam omnes, loci illi sicuti Marcha continetur, in eodem saltu ad sanctam Mariam, & ad sanctam Afiam per regiam traditionem, absque vllius violentia, præfatus Episcopus VVictherpus, omnesque successores *infestationes. VVictherpus locū S. Magno à Pipino Rege petit. Pipinus Rex S. Magno locum ad Fauces concedit & dotat.

eius obtinerent auctoritatem. His regiæ potestatis Vvictherpus Episcopus adornatus solaciis, & sublimatus honoribus, impertitisque donis optimis beato Magno à rege Pippino lætus ad patriam regreditur, iniungens beato viro ea cum omni diligentia, dansque ei potestatem, vt in loco sibi commendato ad supplendas beatæ Mariæ excubias, & sanctæ Affræ omnem ordinem canonicam instrueret vitam. Ex illo tẽpore ipse locus à beato viro Magno exordiũ sanctitatis accipiens augmẽtatus a. & sublimatus à ꝑtificibus Augustensis, Christi nomẽ vsq; hodie ibi laudabiliter dilatari non desinit.

His itaque prælibatis cum audisset Theodorus, qui apud castrum Campidonensem morabatur, beatum Magnũ consolidatum in loco quem Dominus disposuerat, cœpit properare partes in illas. vt videret qualiter & quomodo Domino annuente in his locis moraretur. Vt autem ad eum peruenit, salutantes se inuicem, & deosculantes oculos pariter & manus, narrauit ei Theodorus innumerabilia, quæ passus est à pagensibus Hilargangiensis. Sed tamen quamuis tantas iniurias & calamitates ab eis sustinuerit, ædificauit ibi Ecclesiam paruam super litus Hilaræ, quam postulabat vt apud Vvictherpum Episcopum impetraret, quatenus illuc proficiscens, ipsam basilicam Domino in honore S. Mariæ, genitricis eius consecraret. Venerunt quippe ambo ad locum, qui dicitur Eptaticus, repereruntque ibi supra scriptum Episcopũ in oraculo suo sedentẽ & orantem. Ergo vt obtutibus eius adpræsentati sunt, narrauit ei beatus Magnus Abbas de Theodoro, qualiter cum magno labore Ecclesiam construxisset in loco Campidonense, & quomodo deprecabatur, vt ille illuc properaret, ipsamq; Ecclesiã Domino consecraret. Audiens hæc venerabilis Episcopus respondens, dixit ad eos. Dicam prius vobis venientibus q̃ cogitabam, & sic congruo tempore Domino annuente proficiscar. Vere charissime pater Magne nunc sedens hic cogitabam, vt tanquam Deus omnipotens te ita magnificatum habet in illo per multa miracula eius. accersirem te, futuræ venturæq; solemnitatis ieiunii septimi mensis, & sacerdotii dignitatem supernis gratiis fauẽtibus te promouerem. Inclinato denq; capite B. Magnus inquit, Cur hanc obiectionem asseris pater: peccatorum meorũ squaloribus & flagitiis fœtere me video. Iccirco vita mea non est talis, vt amabilis paternitas tua me ad tantam dignitatem promouere queat. Ergo noli deprecationem nostram pro peccatis abiicere, sed Domini prouocatus mandatis incipe salubre iter, viamque veritatis desiderantibus aperi. Postea mihi seruo Dei indigno, quando paternitati tuæ placuerit, secundum benignitatis munus impende, ne refutare videar, quæ à Domino disposita sunt super me seruo suo. Et cũ hæc diceret, viderunt ambo Vvictherpus Episcopus & Theodorus coronam splendidissimam inhærentem capiti suo in modum rotæ circa Solem in nubibus fulgentem. Continuo autem surgens, amplexatus est eum, & osculans oculos & os eius, dixit: Deus omnipotens, qui per potentiam maiestatis suæ in te tantam virtutem ostendere dignatus est, vt pro eius amore patriam tuam derelinqueres, & præcepta eius conseruares, ipse te faciat locum tibi ab eo destinatum custodire & sublimare, cooperante gratia Spiritus sancti tecum. Respondit Theodorus, Amen: Ad hæc iterũ inquit Episcopus: Bene vocatus iste locus Eptaticus, quia in medio constat inter monasterium S. Affræ & cellam tuam: ideoq; scias. quia per meũ discessum hanc hæreditatem permanere cupio ad sanctam Mariam, & ad sanctam Afram, quatenus quasi mediator sit locus iste successoribus nostris, inter monasterium tuum & ciuitatem S Augustensæ Ecclesiæ. His dictis, surrexit venerabilis Episcopus, & profectus est ad castrum Campidonense, descenditque cum illo B. Magnus simul cum eis Theodoro, & venerunt ad castrum. Conuocata a. multitudine populi in die sollemni dedicationis Ecclesiæ, vir venerabilis Episcopus prædicationis dulcedine auidorum corda refecit. Sicq; iussu suo B. Magnus ea quæ viderat tanta sapientiæ luce vestiuit populorũ corda, vt summa cũ gratulatione auditus, & ineffabili veneratione à cunctorũ ordine sit ornatus. Biduo itaq; ibidẽ manẽtes cũ gratiarũ actione, populusq; benedictione tãti patris armatus, & ab Episcopo osculo pacis tributo ad sua reuersi sũt. Venerabilis Episcop⁹ & sanctis. Abbas relinquẽtes Theodorũ ad custodiendã Ecclesiã Cãpidonensiũ.

XXV.

Vvicterpus & Theodorus coronã splendidissimam in capite S Magni conspiciũt.

Beatus itaque Magnus morans in cœnobio suo, q̃ sibi parauerat ad Fauces, per viginti quinq; annos magnas virtutes ibi operatus est Deus per eum, illuminans cœcos, præbens surdis auditum, Dæmonia à plurimis eiiciens, claudicantibus gressum tribuens. Sicque docuit populum, & conuertit ad fidem Christi, & ad credulitatem eius, relinquentes idola vana & surda, & credentes in Dominum Iesum Christum, insuper etiam per orationem ostendit Deus venas ferri in montibus gyro impositis ita. Post susceptam a. benedictionem sacerdotalem, cum ipse circuiret montes & colles per diuersa loca explorans, & intuens plurima loca apta ad manendum, quadam die ascendens in montem excelsum, qui vocatur Suilinc, inuenit ibi plurimos vrsos, cõmorantes in maxima ferocitate. Sed facta oratione cœperunt ante eum tã mites effecti adgredere, vt veluti boues qui ante bubulum pergunt, ita irent ante eum. Vir ergo sanctus prostrauit se in figuram Crucis ad terram, & preces Dño deuotius effudit, vt populo pago in illo moranti aliquod adminiculũ præberet ad victualia adquirenda. Interea vrsus vnus adpropinquans ad eũ cum magna mitigatione cœpit cum pede monstrare abietem magnã, & quasi significãs q̃ sub ipsa arbore copia venarũ ferri consisteret. Hoc vt homo Dei vidit, dixit ad ferã: Præcipio tibi in nomine Dñi, vt ad ipsam abietẽ eas, & qa gladium nõ habemus, neque fossorium, vt possimus radices eius incidere, tu in nomine Dñi cum pedibus & dẽtibus tuis euelle rumpẽdo radices eius, quatenus nobis Dñs demonstret suã voluntatem in adiutorio populi terræ istius. Ad eius ergo præceptum belua conuersa cœpit radices arboris rumpere, & cũ dentibus frangere, donec ipsa arbor cum radice funditus ab vrso effossa corruit sicq; mõstratæ sunt diuersæ venæ ferri ad sumendum. Vir deniq; benignissimus gratias Deo agens, assumens panem de pera sua, q̃ secum habebat integrum famulanti porrexit, & ei ita præcepit. In nomine Dñi mei Iesu Christi panem istum manducа, & sequere me atque ad istum locũ hominem, quẽ tibi monstrauero, absq; vlla læsione adducere stude, defendẽs eũ ab aliis feris, si eum lædere voluerint. Et hoc facto, circumpositos montes & colles cum aliis feris habeto communes, ita vt nullum hic hominẽ lædatis, neque pecora eorum. Et his dictis, reuersus est beatus vir Magnus ad cellulam suam, secutusq; est eum vrsus, sicuti canis, qui sequitur Dñm suum. Ergo vt ad cellam appropinquarat, vocauit hominẽ suum nomine Liuto & præcepit eum venire, & adferre secum securem & fossorium, atq; asciam, & commendauit eum vrso, & dixit. Istum hominẽ sanum & incolumẽ perduc ad istum locum, quem Dñs ostendit nobis, & caue, ne aliq̃ læsionem ab aliis feris patiatur. Belua itaq; conuersa obediens iussioni eius, cœpit pergere ante hominẽ, & aperire viã, atq; monstrare semitã. Sicque adduxit eum ad locum incolumem, vbi arbor corruerat. Nullam aliã feram permittens ad eum appropinquare, donec vir effodiens sarcinulam suam compleuit, & per eandẽ semitam vsq; ad cellulam viri Dei reduxit. Hoc facto vrsus ad saltum reuersus est. Homo vero prostrauit se ad pedes B. Magni, & dixit: Vere Domine nunc cognosco, & certus sum, quia Dominus omnino est tecum, quoniam & bestiæ Eremi obediunt tibi veluti Iesu Christo: nam me vrsus tam præuidit, & custodiuit, vt nec saltem alias feras ad me accedere permitteret. Ille a. dixit ei. Caue diligenter ne alicui hoc dicas, dum ego vixero, sed præpara aditum cæteris hominibus, sicuti vrsus te duxit, quatenus viam noscant illuc proficiscendi, & Domino annuente deinde opem habeant ad victualia, cæteraque necessaria per ferrum acquirenda. Ab illo ergo die nota facta sunt incolis terræ illius in ipso loco, & gyro diuersæ venæ ferrium, quæ per merita B. Magni permanent vsque in præsentem diem.

XXVI

S Magnus vrso monstrante ferri venas inuenit.

Cumque transissent viginti quinque anni, & Dominus illũ locum per merita tanti viri sublimare, dilatareq; dignatus est Vvictherpo Episcopo defuncto XIIII. Kalend Maiarum. Tozzo per electionẽ B. Magni ad Pontificatus honorem à Pippino glorioso Rege iã in vitimis suis deductus est. Sed finitis viginti quinq; annis beatus pater ægrotare cœpit atq; infirmitate febrium languescere, misit ergo ad Theodorum sodalem suũ qui tunc tẽporis in Campidonense cellula morabatur, & accersiuit eum vt accleraret, atq; eum visitaret, & sua visitatione respueret fidelissimum amicum. Audiens hoc Theodorus commotione maxima de inualetudine tanti viri, animoq; mœsto, celeriter partes in illas profectus est; sumẽs secum

XXVII

Vvicterpo Augustanẽsi Episc succedit Tozzo

S. Magnus febri laborat.

secum prout potuerat ea, quæ in infirmitate laboranti nouerat cõgruere. Veniens a.ad præfatam cellulam, inuenit beatum virum in maxima infirmitate detentum. Et misit celeriter Tozzonem Episcopum intimãs ei, vt acceleraret, & tantũ patronum prius, q̃ ab hac luce seculari discederet, visitare veniret. Cum audisset igitur hoc præfatus Episcopus velociter partes in illas profectus est, & peruenit ad cœnobiũ beati viri. Cumq; magnus patronus in infirmitate maxima laborasset, videns eũ Tozzo Episcopus, cœpit flere & dicere. Heu, heu pater amande, heu doctor egregie, in his periculis quasi orphanum me dimittis. Ad hæc beatus vir Magnus inquit. Noli flere venerabilis præsul, quia me in tot mundialium perturbationũ pcellis laborantem conspicis: quoniã credo in misericordia Dei, quod anima mea in immortalitatis libertate sit gauisura; tamẽ deprecor, vt orationibus tuis sanctis mihi peccatori & animæ meæ non desinas adiuuare. Inter hæc verba B Magnus per dies tredecim laborãs, expletis 26. annis morationis suæ in illo cœnobio, ætatis vero suæ annis 73. in die sancto Dominico, & in 8. Idus Sept. cõmendans se Domino & venerabili Pontifici in senectute bona, circa horã 9. diei ipsius Dominici sanctã animã Deo reddidit, de huius vitæ liberatur ergastulo Flentibus a. Episcopo & Theodoro corã lectulo eius, audita est vox. Veni Magne, veni, suscipe coronam q̃ tibi Dñs præparatam habet. Audita ergo hac voce, dixit Tozzo ad Theodorum. Cessemus flere frater, quia potius nobis oportet gaudere de animæ eius imortalitate sumptæ in hoc signo audito, q̃ luctum facere. Sed eamus ad Ecclesiã, & pro tam charissimo amico salutares hostias Dño immolare studeamus. Finito itaq; fraternæ cõmemorationis obsequio, inuenerunt ambo sarcofagum optimum lapideũ, à quodam duce antiquis tẽporibus nomine Abuzaco constructum, qui & ipsum castrũ construxit, & à suo nomine similiter Abuzacum vocauit. Vnde fuit in ipso sarcofago positus, neq; sepultus q̃squã. Purgato ergo ipso sarcofago, assumpserunt sanctum corpus, & recondiderunt in loco, vbi pater ipse sibi oraculum construxerat, & cooperuerunt humo, ponentes eius vitam in capite suo scriptam, virtutibusque plenam, sub auctoritate Theodori, ita:

Excedit è vita.

Sepelitur.

Protestatio auctoris.

XXIX. Ego itaq; Theodorus Monachus ex Monasterio S. Galli iussum Tozzonis Episcopi, sicut à Theodegiselo Monacho S. Columbani de tanti viri conuersationibus simul cũ B. Columbano comperui, & oculis meis ipse vidi, & auribus audiui, seu postea, q̃ me reliquit in cellula Campidonense, sicut postea à præfato venerabili Episcopo Tozzone de virtutibus eius didici plurima, sed non omnia in epitaphio meo scribere curaui, & ad caput eius posui reconditũ cum sepulchro, quatenus futuris temporibus quando Domino reuelante corpus eius sanctum inuentum fuerit, sicut Domino annuente illi, qui tunc temporis pastores & rectores sanctę Ecclesiæ fuerint, inuenerunt iustum & dignum fore, ita ea corrigant, quę corrigenda sunt, & quæ emendanda sunt, emendent, nec non pro me seruo Christi intercedere non dedignentur, quatenus orationibus tanti patroni suffultus anima mea in requiem sempiternam procedat.

Tozzo patronus cœnobij S. Magni moritur.

XXX. Vir ergo venerabilis Episcopus Tozzo, post obitum beati patroni Magni, prout potuit ipsum cœnobium semper cum suis custodibus custodiuit, secundũ facultatem loci regens & gubernans, atq; disponens ea, quæ ad ipsum Monasterium iure pertinere debebant, custodiens sanctũ corpus cũ Clericis & officiis diuinis atque luminatibus vsq; ad obitũ suum, q̃ permanens post discessum B. Magni in Episcopatu annos quinq;, & menses tres. XVII. Kal Febr. vitam secularem finiuit tradens ante obitum suum hæreditatem suam ad sepulchrum beati Magni cum firmitate & stipulatione secundum legem Alamannorum, sepultusque à Clero suo est Augustensæ sub testimonio in eadem hæreditate.

Theodorus auctor huius vitæ ad Othmarum venit.

XXXI. Denique post obitum gloriosi Regis Pippini filiis suis litigantibus, erectus est Vtilo in Ducatu Baioriorum, & Gotafrid in regimine Alamannorum. Sicque orta magna seditione & rixa inter Baiorios & Alamannos deuastantes & deprædantes seu spoliantes omnia quæ in marchis duorum regnorum consistebant, minime quiuit Theodorus fidelis Monachus S. Galli & Magni custodire locum Campidonensem propter varias persecutiones, & malorum hominum à pagensibus ipsius loci oppressiones in suis & sua, nec non in semetipso, idcirco relinquens illum locum, profectus est ad Monasterium S. Galli, inuenitq; B. Othmarum ipsius Monasterii iam senem & grandæuũ, prouectæq; ætatis, sed Domini gratia & Spiritu sancto plenum, & diuinis virtutibus imbutum, narrauit ei omnia de B. Magno Confessore Christi, quę acciderant, & de loco Campidonense seu de persecutione plurima, quam passus est à paganis, velà malis Christianis. Hæc audiens B. Othmarus dolens & mœrens de tanta persecutione, seu etiam & de sua ipsa, quam iam à pessimis Comitibus Vvarino & Rudhardo, qui tunc temporis quasi totius Alamanniæ curam administrabant, patiebatur, quendam de fratribus eius Bertgoyum Monachum optimum virum & prudentem, cum quatuor Monachis aliis illuc direxit, qui ipsum locum custodirent, donec Domino opitulante, pace reddita iterum à Rege Karolo sublimaretur, permittens Theodorum morari in Monasterio B. Galli vsque ad obitum suum.

Carolus Rex ecclesias reædificat & monasteriũ S. Magni reparat.

XXXII. Igitur Karolo Rege cõsolidato & cõfirmato in prouincia Galliæ, restaurans & reædificans Ecclesias, q̃ à malis inuasoribus desolatæ erant, totam Germaniam Dominus sub suo iugauit imperio, interfectis Principibus Germaniam possidentibus. Cumque audisset de B. Othmaro iniuste acta, & ad finem obitus vsque perducta, nec non de cœnobio Campidonense, imo de ciuitate Augustense, quippe de Monasterio S. Afræ: & cellam S. Magni pene destructam, & desolatam, compunctus corde, iterum reædificare cœpit ipsas Ecclesias, & sublimare. Constituit autem Episcopum Sintpertum nomine in ipsa ciuitate, & dedit secundum morem regum per firmitatis præceptum ad præfata loca omnia, quæ ab antecessore suo Pippino illuc tradita fuerant; insuper & addidit plurima, susceptumque Episcopatum Sintpertus profectus est ad Augustam Vindelicum, & per annos triginta fere rexit ipse Ecclesiam, construens Basilicam S. Afræ & restaurans cœnobium S. Magni. Parochiam vero in ambarum partium Lechi fluminis per auctoritatem domini Leonis tunc temporis Papæ, & confirmationem Domini Caroli iam facti Imperatoris, in vtroque regno simul Domino fauente coadunauit.

Translatio corporis S. Magni

XXXIII Qualiter ergo corpus B. Magni repertũ sit, & inter cæteras virtutes, quæ ante sepulchrum eius Dñs per merita sua reuelare dignatus est, q̃ maximam virtutẽ tunc reperiente corpore suo, non est silendũ. Defuncto a. Sintperto Episcopo, successor eius Lanto in Episcopatu pastorali diciũ sumpsit. Sed cũ non amplius, quam septem annos in Põtificatus honore ipsam Ecclesiã regere visus est, minime quiuit aliquid ex his rebus sublimare, nisi tantũ in Baioariam propter suam progeniem, q̃ ibi præsentem habebat, ea quæ potuit ad ipsam Ecclesiã acquisiuit. Finitis autem pertransactis septem annis temporibus suis, successores eius, qui in ipsa ecclesia sancta constituti sunt, primus cœpit Nitcarius à fundamentis Ecclesiam B. Magni construere, cæteri vero præsules eum subsequentes, prout potuerunt, similiter construxerunt, tamen non fuit aula Basilicæ ad perfectionem operis perducta.

Ecclesia S. Magno cõstruitur.

VITA ET MORS ZACHARIÆ PROPHETÆ, PER D. EPIPHANIVM CONSTANTIÆ CYPRI EPISCOPVM DESCRIPTA. HABETVR IN LIBRO EIVS DE VITIS PROPHETARVM.

A.M 3450 ante Christum. 518.

6. Sept.

I. Zacharias Propheta natus Barachia, è terra Chaldæorũ soluit, & inter proficiscendũ permulta populo vaticinatus est, demonstrationis causa, siue ad ostentationẽ. Plurima quoq; designauit miracula. Hic est, qui in os annunciauit Iosedech: Nascetur ex te filius, qui sacris initiatus Hierosolymis sacrificabit Domino. Hic etiam benedixit Salathiel in filio, dicens: Procreabit filium, & indet nomen illi Zorobabel.

genus & patria Zachariæ Prophetæ, Prophetia eius.

II. De Cyro quoq; Rege Persarum Zacharias ostentatum dedit, idq; ad victoriam. Signum item super Cræso Lydorum Tyranno obiecit: nec non & super Rege Medorum Astyage. Deq; publico ministerio, quod Cyrus Rex designaturus esset Hierosolymis vaticinatus est, laudibusque euexit illum, nec vulgariter benedixit. In vaticinio porro quam prophetiam

Mortuus apud Aggæũ Prophetam sepelitur:

tam vocant, proprie locutus est de Hierusalem, de consummatione eque gentium, & de templi Hierosolymitani ædificatione. De ocio denique & desidia tam prophetarum, quam sacerdotum, nonnulla duplici quadam crisi exposuit. Decessit in vltima senectute in Iudæa, & proxime cum Aggæo propheta humatus est.

AN. 290.

MARTYRIVM S. MARTYRIS SOZONTIS, EX SIMEONE METAPHRASTE.

7. SEPT.

I. CVM Maximianus esset Præses Ciliciæ, & impietatem augere & extollere, conuenienter edicto Imperatorum, magno studio contenderet, venisset autem in ipsam quoque Ciliciæ Pompeiopolim, & aureum, q illic colebatur, simulacrum splendido sacrificio & alio studio honoraret, & sic ostentaret suam falsam religionem: quidam adolescens, patriam habens Lycaoniam, & ab ortu quidem Tarasius, in diuino autem baptismo Sozon denominatus, cum priore vita amisso quoque nomine, cum esset pastor ouium, sit etiã nihilominus pastor hominum. Nam in quibus locis degebat in pastione, illic omnes excipiebat conuitio verbi pietatis, & introducebat in Dei mandram. Hic vir cum esset moribus quidem hilaris & mitis, in lege autem Domini haberet voluntatem, & in ea noctes & dies meditaretur, ea ratione nec prophetica frustratur beatitudine.

Patria sancti Sozõtis.

Sozon, pastor ouium *Psal. 1.*

II. CVM autem fuisset aliquando Sozon in quodam loco, qui habebat fontem, & fonte herbaque, quæ nata erat iuxta fontem, gregem pasceret, eum valde opportunus & suauis somnus inuasit, & diuina quædam ad eum accedit visio. Visio autem eum magis confirmat, & ei animum addit ad pietatem. Deinde etiam reuelat gratiam, quæ ad locum erat desuper deuolatura. Erit enim, inquit, hic præsens locus multis vtilis, & apud ipsum salutem inuenient, & glorificabunt Trinitatem. Cum illinc autem surrexisset egregius ille pastor, venit Pompeiopolim, & cum in ea quidem vidisset florere impietatem, contemptas autem esse res Christianorum, & summe neglectas, non potuit id ferre placide: sed cor illius repente inuasit impetus, & cum venisset ad templum, in quo stabat aurea statua, confringit manum eius dexteram: & cũ eam vendidisset, succurrit multis, qui illicerant, egentibus. Non latuit hoc æditiuos: sed propterea quod nesciret quis fecisset, multi statim comprehendebantur miseri, qui nihil tale fecerant, & accusabantur sacrilegij, reputati maleficorum omnium sceleratissimi, vt qui suffurati essent dei imaginem. Nemo autem eis opem ferebat: sed qui erant prius amici eos auersabantur: & custodes carceris (ita enim existimabant se diis esse gratificaturos) grauiter affligebant eos, qui capti fuerant.

Visio eius.

Vaticiniũ.

Egregius zelus.

III. GENEROSVS autem Sozon libere volens profiteri pietatem, & eos liberare, qui nihil sciebant ex iis, quæ facta fuerant: seipsum defert, veniens ad æditiuos, & dicens se eum esse, qui maleficium admisit in imaginem. Postquam autem hoc dixit, abductus protinus fuit ad Maximianum. Ipse vero in alto sedens tribunali, cum eum curasset sistendum, & cũ quanto potuit fastu apparuisset, primum quidem nomen, deinde religionem, & postremo patriam, quæ eum tulisset, rogauit. Ille autem. Patria quidem mihi est Lycaonia: ea enim me tulit: Parentes vero ab ortu mihi nomen imposuerunt, Tarasius: Sozontem autem in diuino me vocarunt baptismate. Sum enim Christianus, Christum solum verum Deum adorans, qui creauit cælum & terram. Cuiusnam autem rei vsus, inquit Maximianus, te huc adduxit? Præsum, inquit Sozon, gregi ouium: & quæ mihi loca florida, & aqua abundantia, & ad pascendum herbida anni tempora ostenderunt, ad ea ago oues. Deinde. Quomodo autem, inquit Maximianus, eo processisti audaciæ, vt dei dexteram abstuleris?

Magna animi fortitudo.

IV. EXCIPIENS vero Sozon: Quod non audacis quidem cœpti sit, quod factum est, neque id peccato debeat imputari, tuus quoque, vt mihi quidem videtur, deus testatur. Neque enim ægre fert, nec tanquam iniuria affectus, aspere quicquam loquitur. Quod si vox quoque ei aliqua adesset, videtur mihi potius vos esse accusaturus, & aperte reprehensurus, quod relicto omnium opifice, inanimam suspiciatis materiam, & eam Deum esse existimetis, vos in benefactorem ostẽdentes ingratos & immemores. Sed si vis, inquit Præses, non solum consequi veniam, sed aliquam etiam remunerationem, missis his nugis, serua te ipsum Sozon, & accedens diis sacrifica. Et quomodo, inquit, non essem vel ipso vestro deo minus sensu præditus, si eum statuorem colere, qui nec si ei aliquid fiat, se potest defendere, neque vocem aliquam emittere, neque vocare eos, qui sint opem laturi, neque, quod est omnium miserrimum, qualia patiatur, protestari? Est itaque in tua potestate, qui hęc colis, deos quotidie fingere, & alios rursus refingere, cum in arte manuum ponas deorum fabricationem.

Irridet cõmentitium Deum.

V. MAXIMIANVS, cum his ei efferbuisset animus, tradit martyrem grauibus & acerbis cruciatibus. Et primum quidẽ ferreis eum laniat vnguibus. Quoniam autem Sozon, etsi tormentum quidem ad ipsa vsque ossa peruadebat, Dei tamen inuocans auxilium, ita ferebat leuiter, vt videretur habere corpus ex ferro compositum: conuertitur rursus ad alia Maximianus, & calceis acutis clauis confixis induit athletam, & cum ipsis eum cogit ambulare. Ille autem currebat, tanquam super rosas incedens: & videns riuos sanguinis descendentes ex pedibus, videbatur suauibus rebus circunfluere: Tyrannique & eorum, qui circunstabant, irrisiones ducebat esse laudationem: & ea re magis gloriabatur athleta, quam ille clamyde dignitatis. Deinde eum illudens Maximianus: Tibia, inquit, cane Sozon, cras magna procedente dea: & per illam ipsam iuro, quod ab omni examinatione & cruciatu statim liberaberis. Martyr autem: Tu me, inquit irridens hæc loqueris, ea maligno dæmone in nos tibi suggerente. Ego autem & prius quidem tibia in agro recte cecini, congregans & reuocans meas oues: & nunc quoque cano Domino meo canticum nouum, eius salutare omnibus annuncians. Tua autem dea fuerit omnino, vt est in prouerbio, asinus ad tibiam, vt quæ sit plane inanima, & nullo sensu prædita.

Immanissime laniatur

Clauatis calceis induitur.

Horrendis afficitur pœnis,

VI. HIS Maximianus magis in eum irritatur, & prioribus vehementiores ei plagas imponit: vt sic quidem ei moueẽtur articuli, & dissoluerentur compages, & intestina, tanquam aqua diffluerent. Deinde cum ignem etiam accendisset, si quod reliquum esset membrum, id quoque se minabatur combusturum, vt nec quidem omnium communem assequeretur sepulturam. Sic ergo se parabat Maximianus, & sic faciebat: & martyri quidem carnes plagis laniabantur, & interna aperiebantur viscera: Ille autem tanquam in herbido prato versans, & vernos flores decerpens, erat affectus, & lætus Deo reddit animam.

Mira patientia

Reddit Deo animam.

VII. CVM autem iam flamma in altum esset sublata terribile, & horrendum tonitru resonans, multumque imbrem & grandinem simul deiiciens, lictores quidem depulit & dispersit: Amici autem martyrum, & maxime ij, qui erant diligentiores, secure colligebant martyris reliquias. Interim autem cum nox quoque aduenisset, non fuit retardatum illorum promptum & alacre studium. Neque enim erat nox amplius: sed lux clarissima protinus illucescens, ea reddebat manifesta, quæ non oportebat latere, & præstabat vt ea facile tollerentur, & colligerentur à piis. Quæ quidem omnia sanctè collecta septimo Septembris, præclaram & magnificam assecuta sunt sepulturam. Lux enim illa etiam vsque ad ipsum venit sepulcrum, & permansit in sepultura reliquiarum. Deinde reuersa est nox ad suam naturam: & vbique fuit Sozon prædicatus victor præclarus: Ad gloriam Dei patris, & Domini nostri Iesu Christi: Quem decet honor, gloria & potentia in secula seculorum, Amen.

Nox in diẽ vertitur propter eius sepulturã.

VITA